1704 15.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, De ASCITE,

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA

Permiſſu & Autoritate Ampliſsimæ & Gratioſisſimæ Facultatis Medicæ in Illuſtri Salanâ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Ampliſſimi, Excellentiſſimi atq; Experientiſſimi

DN. PAULI MARQUARTI SLEGELII, Phil. & Med. Doctoris P.P. celeberrimi, Hort. Med. Præfecti longè digniſſimi, Dn. Præceptoris, Promotoris ac Patroni ſui omni obſervantiæ cultu ætatèm proſequendi,

Pro LICENTIA & Doctoralibus in ARTE MEDICA privilegiis legitimè impetrandis,

Publico Examini ſubmittit & offert

Ad diem 20 Martii

In Auditorio majori

JOHANNES Dammenhan/

Altenburgô-Miſnicus.

JENÆ

Typis Steinmannianis.

ANNO M DC XL.

VIRIS

Ampliſſimis, Prudentiſſimis ac Conſultiſſimis

Dnn. Conſulibus, Syndico,

Reliquisque Senatorii Ordinis viris, Reipubl. Altenburgenſis laudatiſſimis & ſpectatiſſimis,

Dnn. Patronis & Promotoribus ſuis devotâ animi veneratione ſuſpiciendis,

Diſputationem hanc Inauguralem in obſervantiæ monumentum

dedicat & offert

Johannes Dammenhan/
Altenb.

Σὺν τῷ Θεῷ!

AFfectum & notiſſimum & atrociſſimum ſub diſputationis incudem revocare animus eſt, HYDROPEM nimirum, & primam quidem ac præcipuam ejus ſpeciem ASCITEM, quæ vix alibi frequentiori, magisque populari impetu tyrannidem ſuam exercet, quam in hiſce Germaniæ partibus. Ab eo autem propoſiti thematis noſtri tractatio jure orditur, quod *teſte Galen. lib. 1. meth. med. c. 5* principium eſt in omni diſputatione, à NOMINE videlicet; à verbi enim vi & ſignificatione omnis humana cognitio incipere debet, inquit ſummus Naturæ genius *Ariſt. 1. poſt. c. 1.* cum hæc, interprete *Scaligero exercit. 1. ſect. 1.* ſæpius nos promoveat in ipſius rei perceptionem, hacque ſine, rurſus *Galeno* locô allegatô docente, propoſitæ rei ſubſtantiam invenire non liceat.

ΥΔΡΩΨ igitur Græcis, Aqua intercus, & Aqua inter cutem Romanis, Morbus hydropicus *Celſo lib. 3. c. 21.* à materia aquoſa potiſſimùm peccante, dupliciter accipi poteſt: Primâ enim ſignificatione omnes Hydropis differentiæ hoc nomine complecti poſſunt, & non tàm univerſales, verùm etiam particularis Hydrops, quando aquoſus & ſeroſus humor vel flatus in aliqua corporis parte colligitur: Sic datur hydrops capitis, hydrops pulmonis, hydrops uteri &c. Altera eſt acceptio vocabuli, quando non tàm latè quàm prior accipitur, ſed κατ' ἐξοχὴν denotat ſolum tumorem inſignem corporis abdominisve, provenientem à ſeroſo humore vel flatu, qui triplex eſt conſtitutus *à Galeno lib. 5. loc. aff. c. 7. & 4. de cauſ. pulſ. c. 24.* Aſcites Anaſarca & Tympa-

nites. Nos impræſentiarum de prima & famoſiori ejus ſpecie tantùm agemus. Dicitur Græcis ἀσκίτης, ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ ab utre, eò quod teſte *Galen. 4. aphor. 11.* in illâ totus venter inferior aquosô & ſerosô humore refertus, utrem aquâ repletum repræſentet. Romani deſtituuntur propriô vocabulô, quo morbi hujus nomen exprimant, ſed vel à Græcis mutuantes Aſciten vocant, vel ſimpliciter Hydropem, hinc ii, qui eâ laborant ſimpliciter Hydropici vocantur, quæ vocabula Nos etiam in hac diſputatione ſine diſtinctione uſurpabimus.

Definitur Tumor præter naturam abdominis, ortum habens à copia ſeroſorum & aquoſorum humorum in abdominis cavitate collectorum, propter ſangvificationem jecoris venoſique generis refrigerati læſam.

Genus ſuâ formâ limitatum eſt Tumor Præter Naturam, unde & à *Galen. lib. 14. meth. med. c. 13. & lib. 1. de tumor. p. n.* tumoribus adnumeratur. Et quia in Aſcite corporis noſtri partes à naturali ſtatu magnitudine auctâ recedunt, rectè ad morbos auctæ magnitudinis, ad quam omnes tumores pertinent, refertur à *Clariſſ. Dn. Sennert. l. 2. Inſtit. part. 1. c. 8. & lib. 5. Prax. part. 1 cap. 1.* Dicitur autem Tumor Præter Naturam ad differentiam illorum tumorum, qui ſecundum naturam & naturæ leges fiunt. Non enim omnis tumor & partis ultra naturalem habitum incrementum tumor præter naturam eſt: ſiquidem obeſi quidam ultra naturalem habitum in latum & profundum augentur; cùm tamen nondum in iis eſt aliqua actionis læſio, ob quam demum aliquid præter naturam affici dicitur, etiam præter naturam ſe non habent, ſed ſolùm non naturaliter. Hæc enim ut *Galen. de tumor. p. n. c. 1.* ſcribit, eſt inter ea corpora, quæ ſecundum naturam, ſe habent, & ea, quæ ſe habent præter naturam media quædam conſtitutio. Unde quoque ſuum librum de tumoribus non ſimpliciter, ſed de tumoribus præter naturam inſcripſit.

Subjectum Primarium Hepar eſt, quod in omni Hydrope afficitur, teſte *Galeno 5. de loc. aff. c. 7. 6. aph. 12. & 42.*

2.prognoſt. t.1. & 2. atque hoc adeò manifeſtum eſſe putat, ut nemo contrarium affirmari poſſit, niſi quis indoctus aut contentioſus. Cui ratio etiam adſtipulatur, nam præcipuum ſangvificationis inſtrumentum eſt calor innatus Epatis, quô læſo & refrigerato, non ſangvinem, ſed aquoſam & ſeroſam materiam, quæ nutritioni inepta eſt, generari & tandem Hydropem induci veriſimile eſt. Deinde generantur in Epate humores naturales, Ergò & præternaturales ibi generari credibile eſt. In quibus enim ſanitas partium conſiſtit, in iisdem quoque morbus reperitur. Nam ſanitas & morbus omninò verſantur in uno eodemque inſtrumento. Sunt tamen nonnulli, qui Aſciten non ſemper à jecore fieri exiſtimant, quia in diſſectione Hydropicorum ſæpè hepar ſalvum inventum eſt. Sic *Mauritius Cordæus comm. 5. in lib. 1. Hipp. de mulieribus* ſcribit: In Pariſienſi Aſclepiadarum familia magnum & frequentem eſſe Medicorum numerum, nec ullum reperiri, cui non contigerit Hydropicum cadaver aliquod eviſcerare, integrum autem in multis Epar ex omni parte inventum fuiſſe. *Felix Platerus lib.3.prax.2.p 89.* facit mentionem Hydropis, in quo Epate ſano Lien ſolùm malè fuerit affectus. Accedit autoritas *venerandi illius ex Coo ſenis Hippocratis, qui lib.* περὶ παθῶν *ſcribit:* Generatur Hydrops etiam à Splene, cum ægrotaverit. *Et lib.1. de morb. mulier.* docet, Splenem humorem aquoſum ad ſe trahere, ut qui rarus & ſpongioſus eſt, & ſecundum ventriculum ſitus, generationemque Hydropis ex Splene eò loci integrè deſcribit. Imò ex aliis partibus quoque Hydropem originem ducere poſſe, quidam exiſtimant, nim. ex inteſtinis, ex renibus, ex veſica, ex utero, à colliquatione, *vide Sennert.lib.3.prax.part.6 ſect.2.c.3.q.1.* Hiſce tamen non obſtantibus dicimus, verum & legitimum Hydropem, & quo de hìc agimus, tùm demum fieri, cum Epar afficitur, vel per eſſentiam, vel per conſenſum. Nam in Aſcite læditur ſangvificatio; Sangvificatricis autem facultatis inſtrumentum legitimum eſt ſola Jecoris conſtitutio, Ergò eo læſo non poteſt non Hydrops ſequi. Interdum tamen originem ſumit etiam à Liene, cùm

ſcirrho laborat,tunc enim ratione tumoris lien redditur frigidus,hanc ſuam frigiditatem jecori communicat, ut jecur afficiatur morbo frigido.

SUBJECTUM SECUNDARIUM eſt abdomen ſeu venter inferior,in cujus cavitatibus partim inter inteſtina & peritonæum,ut vult *Galenus in introd.c.13.* (non intra cavitatem inteſtinorum; ſic enim non fieret tumor, ſed materia per alvum egrederetur) partim inter omentum,ſeptum transverſum & ventriculum, materia aquoſa & ſeroſa prodit; hæc enim ſui copia tum replet ſpatium illud, atque ſic abdomen in tumorem elevatur,tum ſpiritalia premit, unde difficilis anhelitus,& ad pedes aliqua portio delata, eos tumefacit,denique & ſcrotum. Colligitur autem aqua hoc in loco ob tres cauſas: 1. eſt loci imbecillitas,quippe hæ partes, ut inferiores ita debiliores aliis, ac non minus, quàm depreſſiora terræ loca paluſtribus quaſi ſtagnationibus obnoxii non tantum, quod colluviei in ſe proclivis ſit defluxus,ſed etiam quod ipſæ à Microcoſmi Sole,corde dico, remotiores,quàm ut influens calor facilè inſito ex defectu laboranti ſubvenire & vitioſum humorem abſumere poſſit. 2. eſt loci vicinitas cum jecore; eſt enim cavitas illa propinquiſſima parti affectæ, quia jecur in ipſo ventre inferiori reſidet. 3. eſt, quod cum minori Naturæ incommodo ac moleſtia aqua ibi colligitur, & ibi collecta etiam copioſa ad longum tempus citra dolorem & ægrotantis interitum aſſervatur.

CAUSA IMMEDIATA & proxima eſt Sangvificatio Jecoris læſa,teſte *Galen.6. aph.12. 2.prognoſt.t. 1. 5. de loc. aff.7.* quia in omni Hydrope vitium eſt ſangvificationis. Pertinet autem hoc vitium ad eam partem, cujus eſt opus ſangvificatio; Ergò ad jecur & venoſum omne genus, quod à vi jecoris gubernatur. Læditur autem ſangvificatio jecoris vel læſa facultate, vel ob errorem externum. Facultas in Aſcite læditur præcipuâ ab intemperie frigida. Nam materia aquoſa eſt opus frigidum, quod, ceu effectus, teſtatur ſui principii naturam.

Cum

Cum enim naturalis Epatis actio ſeu αἱμάτωσις perficiatur inſtrumentaliter à moderato ejus calore; facilè colligere licet à contraria conſtitutione ejusdem hanc debilitari, quando nimirum temperamentum jecoris mutatur in frigidius, ut alimentum non convertatur in probum ſangvinem, ſed in aquoſitatem. Frigida hæc intemperies in Aſcite ſemper adeſt, *ſecundum Avicennam*; quia calor jecoris imminuitur, tum quia reſolvitur, tum quia interdum extingvitur. Unde & *Aetius tetrabil.3. ſerm.2.c.20.* docet, citra Epatis refrigerationem impoſſibile eſſe aliquem in Hydropem incidere. Per intemperiem autem Epatis frigidam non quæcunque frigida diſpoſitio, ſed calidi nativi & humidi radicalis defectus intelligendus eſt, ſive à calore aut evacuatione id diſſipante, ſive ab extingvente frigiditate proveniat. Intemperies enim exceſſum qualitatum ſignificat, quibus præter naturam auctis & excedentibus non quidem ſangvificatio tollitur aut imminuitur, ſed ſangvis non bonus, verùm ei qualitati, quæ excedit, reſpondens, generatur, frigidus nimirum. Frigida hæc intemperies inducitur à variis cauſis, quarum aliæ per ſe, aliæ per accidens. CAUSÆ PER SE actuali frigore infringunt Epatis temperiem tenduntque omnes ad ejus extinctionem, & ſunt vel in ipſo jecore, ut tumor, ſcirrhus, obſtructio, multitudo aſſumti cibi calorem innatum extingventis; vel in partibus vicinis, idque transmiſsâ materiâ refrigerante vel frigore per contiguum communicato. Ciborum & medicamentorum continuus uſus, & aqua glacie refrigerata, præcipuè poſt validum exercitium corporis, quæ ad jecur ſubitò tranſit, idem præſtat. Somnus, otium, mœror refrigerant, ſed multò magis retentio excrementorum frigidorum, ut ſeri renibus obſtructis, vel id ob intemperiem frigidam non attrahentibus, item ſangvinis pituitoſi vel melancholici per uterum vacuari conſveti, qui etiam mole calorem jecoris ſuffocare ſolet.

CAU-

CAUSÆ PER ACCIDENS diſſipant & extingvunt calorem nativum abſumendo, eundemque obruendo. Sic ſuppreſſio hæmorrhoidum conſveta in plethoricis Hydropem minatur, *Hipp. 6. aph. 12.* Evacuationes ſubitaneæ & inſignes per venas, vulnus, naſum & alias partes, ſangvinis & ſpirituum diſſipant calorem. Longa dyſenteria aut alvi fluxus Hydropem inducit *Hipp. 6. aph. 43.* ut & febres ardentes & diuturnæ, diſſipato calore & humido radicali abſumto. *Hipp. 7. Epidem. t. 22.*

Paracelſus cauſam omnis Hydropis eſſe alumen diſſolutum in aquam, & ſuffocantem ſpiritus membri ſcribit. Sed durum eſt credere, quomodo alumen in corpore noſtro reperiatur. *Sennert. lib. de conſ. & diſſenſ. c. 16.*

A ſoluta unitate Hydropem fieri *Fernelius lib. 6. de part. morb. c. 8.* credidit, ob jecoris ſiccitatem vehementem, ob quam ceu rimis, ſicut in terra ſicca accidit, dehiſcat & diffundatur, ut ſerum amplius continere non poſſit. Verùm credibile non eſt, jecori in corpore vivente tantam ſiccitatem induci poſſe, ut rumpatur & dehiſcat, ſed potiùs in omni corpore vivo humiditatem unà cum calore nonnullo ſemper obtinet, & quomodo ſeroſitas in Epate generetur, ſi ſiccum eſt & arefactum. Nunquam enim moderatis alimentis deſtituitur, niſi cum valida ſangvinis penuria univerſum occupaverit corpus *Gal. lib. de marasmo.* Et licet aliquando contingat, ut aqua per rimam in jecore factam excidat in abdomen, quando nimirum jecur aquâ refertum erumpit in omentum *6. aphor. 55.* non tamen ſemper id accidit; aliàs omnis Hydrops eſſet incurabilis & lethalis.

Nonnulli ab intemperie calida Hydropem fieri exiſtimant. Sic *Alexand. Trall. l. 9. c. 3.* ſcribit, non omnes aquâ inter cutem laborantes quovis modo calefaciendos eſſe, & quosdam etiam à refrigeratione adjutos eſſe; ſi nim. Epar ob caliditatem præter naturam ſangvinem bonum non generet. Qui adſtipulatur etiam *Cardanus 1. prognoſt. 2. & in*

12.

12. aph. Hipp. ſect. 1. probatque exinde oriri Hydropem ex intemperie Epatis calida & ſicca, quia in Hydrope adeſt ſitis, quæ eſt indicium caliditatis & ſiccitatis, & non tollitur, niſi refrigerantibus & humectantibus. Verùm hæc ratio nulla eſt, cum ſitis non oriatur in hoc affectu ex intemperie calida & ſicca Epatis, ſed potiùs ex aqua illa contenta in ventre, quæ quando ibi putreſcit ſalſedinem nanciſcitur, & vapores calidos transmittit ad os ventriculi, qui ſitim pariunt. Nos igitur ſolam frigidam intemperiem retinemus.

Viarum autem, per quas hæc aquoſitas in omentum defertur, inquiſitio eſt, quæ multorum exercuit ingenium, multorum quoque fefellit ceu Juno Ixionem. *Galen. comm. 55. ſect. 7.* vult jecur interdum ſcatere quibusdam puſtulis ſeu veſicis aqua repletis, quæ poſtea dum disrumpuntur, ſunt in cauſa, ut neceſſariò illa aquoſitas in abdominis cavitatem illabatur. Hoc in aliquibus locum habere poſſe, ſed non in omnibus, cadaverum diſſectio monſtrat, & ubi id accidit, non videtur, quâ ratione veſiculæ illæ poſſint tantum aquæ profundere, ut ventris tumor inſignis adeò qualis pluries in Hydropicis obſervatur, poſſit attolli. *Fernelius lib. 6. de part. morb. & ſympt. c. 8.* eos turpiter hallucinari putat, qui exiſtimant per anguſtos, cœcosque poros ſeroſum humorem transferri in capacitatem abdominis. Nam, inquit, viſcerum ſubſtantia ſiccitate & humoris penuria ceu rimis quibusdam dehiſcit, eorumque ambiens membrana diffringitur, ut non amplius tenue ſerum continere poſſit, ſed id renum more elabi ſinit, atque ſenſim quaſi ex fiſſa olla ſtillare in vacuum abdominis ſpacium. Verùm Nos ſepoſitis variarum opinionum ambagibus modum, quo Aſcites generatur, hunc eſſe dicimus: Quando chylus in ventriculo elaboratus in inteſtina prolabitur, venæ lacteæ ad inteſtina hirudinum more hiant, ſuntque inſtar radicum, quæ chylum excipiunt, atque ad parenchyma jecoris deferunt, ubi coctionem quidem experitur, ſed imperfectam, & quia ſangvis exiguam mutationem ſuſcipit majore ſui parte in

aquoſam & ſeroſam ſubſtantiam vertitur; ex parenchymate jecoris in radices venæ portæ & cavæ, pòſt ex his in venas majores dispergitur, & cum à partibus non attrahatur, eam Natura ad ignobiliores vias deponere conatur, colligitur itaque in cavitate abdominis cum tranſudat per cœcos jecoris poros venarum ut & arteriarum, qui ampliores reddi poſſunt, quando membrana copiâ humoris nimium dilatata, attenuataque fuerit, ut mediante noſtro calore per ipſam aqua tranſudare queat. Potiſſima verò cauſa eſt in ipſius humoris hîc peccantis naturâ; ſiquidem is omnium, quos in corpore invenire eſt, tenuiſſimus, penetrantiſſimus: quia ſerum, urinæ omninò ſimilis humor, imò ob majorem putredinem multò plus ſalis volatilis poſſidens. Fit quidem interdum etiam non abſimilis profuſio, ſi vas aliquod urinarium disrumpatur; tunc enim ſeroſa materia confluit in cavitatem abdominis. Verùm quando hoc fit gravia ſuboriuntur ſymptomata, & patientes ſtatim de vita periclitantur.

DIFFERENTIÆ I. RATIONE GENERIS, reſpectu temporis, Hydrops alius eſt incipiens & levis; confirmatus alius & familiaris quaſi redditus, in quo omnia accidentia utplurimùm ingraveſcunt.

II. RATIONE SUBJECTI. A ſubjecto non ſumuntur differentiæ, quia abdomen unicum eſt ſubjectum.

III. RATIONE CAUSÆ, alius eſt exquiſitus, ubi materia ventrem in tumorem attollens eſt ſeroſa tantùm, & provenit à frigida Epatis intemperie, ſive primariò, ſive ſecundariò ſangvificationem lædente: Alius non exquiſitus ſive ſpurius, in quo cum aqua conjungitur pus, propter abſceſſum magnum; aut ſangvis, propter vas ruptum in gibba jecoris parte.

SIGNA ΔΙΑΓΝΩΣΤΙΚΑ I. RATIONE GENERIS. Hoc malum in genere facilè cognoſcitur, quia oculis & manibus ventrem præter naturam tumidiorem cognoſcimus. 1. Incipientis ſunt: tumor infimi ventris, fœdus faciei color, laſſitudo ſpontanea *Hippocr. 5. aphor. ſect. 2.* morborum prænun-

nuncia, quæ provenit ex ſangvine ſeroſo & aquoſo, non tantùm in venis, ſed & in abdomine ſtabulante & liberum ac perennem ſpirituum animalium curſum & recurſum impediente, muſculoſo habitu, cui conveniens nutrimentum denegatur ad operationes debitas ſegniore reddito, cujus ſequax comes eſt gravitatis quidam ſenſus in abdomine, ob humorum *καταῤῥοπίαν* & materiam ſeroſam & aquoſam circa inferiorem ventrem, à qua abdomen paulatim intumeſcit, hinc & pedes & ſcrotum. Adeſt cibi faſtidium, quia ob crudi ſucci copiam non fit ſuctio. Sitis plerumque ægrotos malè cruciat, & majori ſiti utplurimùm quàm apud inferos Tantalus ille excruciantur, adeò ut quò plus ſunt potæ, plus ſitiantur aquæ, ob ſeroſi ſalſi utique humoris in abdomine copiam. Urina pauca eſt & rubra; pauca, quia renes pravum viribus vitalibus infeſtum ſerum trahere nolunt, rubra, quia plurimum ſalis in ſe habet; diuque magis, quàm in ſanis fit, in corpore moratur. Pulſus, *ſecundum Galen. 4. de cauſ. pulſ. c. 24.* eſt parvus, crebrior, ſubdurus, cum quadam tenſione. 2. Augeſcentis, ubi omnia exacerbantur, abdomen in majorem molem attollitur, in eoque mutato ſitu, aqua fluctuat tanquam in utre ſemipleno. Reliquum corpus, maximè ſupernæ partes contabeſcunt, nutrimenti defectu, neq; aqua ad eas diſtribuitur. Accedit utplurimùm dyſpnœa, ita ut ægroti erecti ſedere cogantur, ob aquæ copiam diaphragmati incumbentem.

II. Ratione Subjecti. An Epar primariò laboret, & primam malo occaſionem dederit vel ſecundariò, cognoſcere docet, *Hippocr. lib. prænot. ſect. 2.* dum ſic ait: Quibus à jecore aqua inter cutem ortum ducit, his tuſſis & tuſſiendi cupiditas ineſt, ſed nihil effatu dignum expuunt, pedeſque intumeſcunt, ac venter non niſi dura ægreque egerit, & circa alvum tumores fiunt, qui partim dextra, partim ſiniſtra parte oriuntur & deſinunt. Et *2. Epidem. ſect. 1. t. 20. ait:* Hydropes ab Epate primariò incipientes cauſare colorem pallidum cum albo conjunctum: Si à liene producuntur, colorem ad nigrum vergere. Sic an Hydrops per eſſen-

 tiam

tiam generatus ſit,vel per conſenſum,facilè perſpicies: nam ſi per eſſentiam,nullum vitium partium vicinarum præceſſit: Si autem aliquod præceſſit, per conſenſum eſſe ſtatuendum eſt.

III. Ratione Causæ, ex qua nimirum Aſcites originem ſuam ſortiatur, magnâ inquiſitione id indigere non videtur,cùm ex prægreſſis & ægri relatione conſtare nobis poſſit, an à frigidis per ſe,an per accidens introductus ſit. Si ab illis ortum traxit, præceſſit uſus rerum frigidarum, ut immodica ingurgitatio frigidi potus, cucumerum, melonum &c. adeſt cibi appetitus auctus ob orificii ſuperioris ventriculi refrigerationem, ut monſtrat *Gal.lib.5.de loc.aff.c.6.* Si ab his,colligitur ex evacuatione ſolemni intermiſſâ,à calore extraneo febrium ardentium, inflammatione meſenterii,teſte *Galen.2. prognoſt. com.2.*

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ I. Salutis. Ratione Generis Aſcites adhuc recens curationem omnem non fruſtratur: Sed medicamentis præſertim ſpecificis dextrè adhibitis cedit: ubi nempe nondum prava διάθεσις viſceribus firmiter eſt impreſſa; ubi autem incrementum ſumſit, & firmas egit radices, inextricabilibus vinculis ægrum implicat, & vix unquam ſummâ etiam dexteritate adhibitâ eradicatur, & de tali Aſcite intelligendus eſt ſenex ille artis noſtræ parens *1.de morb. t.9.* ubi retulit Hydropem inter lethales neceſſariò. Eſtque in comparatione ſpecierum Hydropis Aſcites omnium periculoſiſſima,reſpectu cauſæ efficientis, quæ à naturali ſtatu maximè deviat,teſte *Gal.4.aphor.11.*

Ratione Subjecti. Gravior eſt Aſcites,in qua per eſſentiam jecur laborat,& in qua debilitas jam habituata eſt; mitior,in qua Epar laborat per conſenſum. Periculoſiſſima,in qua duritiem aut ſcirrhum Epar contraxit. Jecur enim ut pars nobilior, ita majus periculum adfert. Senes quoque periculoſiùs cum eo conflictantur quàm Juvenes,ut & mulieres & fœminæ; illi,propter calorem aliàs debilem; hæ,ob humores vitioſos ex ſuppreſſione menſium utplurimùm in corpore retentos jecur labefactantes.

Ra-

RATIONE CAUSÆ. Quæ à ſimplici refrigeratione, nec à vehementi cauſa fovetur, & per ſolam tranſpiratione͂ genita eſt, foris qſ. acquiſita, facilius curatur; omniu͂ graviſſima eſt, domi nata, ſimul educata & unà cum principiis generationis implantata, aut vehementibus ex cauſis ſuborta. Licèt enim interdum miteſcere videatur, & urbaniorem veſtem induere, ſubitò tamen ob nativam viſcerum imbecillitatem nervos recipit, atque inter vitæ mortisq; confinia ægrum præter omnem ſpem & expectationem conſtituit.

II. DURATIONIS. Longus & chronicus plerumq; affectus eſt, ut ægri per plures annos cum eo miſerè luctentur, & vivam mortem, aut mortuam vitam trahant inter ſuſpiria & lacrymas.

III. MODI EVENTUS, vel AD SALUTEM terminatur Aſcites causâ morbificâ à calore naturali ſatis robuſto ſuperata, diſſipata à parte nobiliori ad ignobiliora ablegata, vel 1. per alvum ad inſtar fluxus alvi. Sic *Hippoc. 6. aphor. 14.* ſolvitur morbus hydrope detento, ſi qua è venis in ventrem ſponte confluxerit. vel 2. per urinam; Tum demum ſecundæ valetudinis ſpes eſt, inquit *Celſus*, ſi plus humoris per urinam excernitur, quàm aſſumitur potionis per os; vel 3. per ſudores copioſos; vel 4. per ſpontaneam rupturam umbilici.

AD MORTEM terminatur 1. per alvum. Fluxus ventris ſuperveniens ſine alleviatione mortale. Non enim educitur materia peccans. 2. Aquæ nimiâ profuſione. Tales fluxiones alvi pronunciavit *Hippocr. 2. prognoſt. t. 2.* in hydrope non ſolùm prodeſſe, verùm etiam obeſſe. Sic etiam *6. aphor. 27.* Si aqua hydropicis per umbilicum ſponte vel arte apertum nimis & ſubitò copioſa effluit, omninò moriuntur. 3. nonnunquam deſinit in Apoplexiam.

CURATIO nititur INDICATIONIBUS. CURATORIA tumorem abdominis præter naturam tollendum eſſe monſtrat.

PRÆSERVATORIA colluviem illam aquoſi & ſeroſi humoris in abdomine collecti prævertendam; quod in

 ab-

abdomen confluat, aliò avertendum, & intemperiem, quæ eandem generat, alterandam eſſe monet. VITALIS indicatio vires in ſalubri ſtatu & naturali vigore conſervare ſtudet per ſimilia, confortantia & appropriata, & ſedulò præcavet, ne humores aquoſi & ſeroſi de novo generentur & repullulent, quâ fini præfractum humoris vitioſi impetum refrænat, & pravam viſcerum diſpoſitionem corrigit. MATERIÆ horum auxiliorum deſumuntur ex uſitatis fontibus.

I. ΧΕΙΡΟΥΡΓΙΚΩ, VENÆSECTIO utrum in Aſcite conveniat, variè inter autores diſceptatum fuit, aliis eam approbantibus, aliis rejicientibus. Verùm quia indicatio evacuandi ſangvinis in Aſcite nulla adeſt, vena nunquam erit ſecanda, niſi à ſuppreſſa ſangvinis evacuatione oriatur. Si menſes ſuppreſſi originem dederint morbo, commodè educitur ſangvis è ſaphena, ut uterus officii ſui admoneatur.

SCARIFICATIO crurum celebre fuit remedium apud veteres. *Hercules Saxonia ex Alexandr. Bened. l. 15. curat. morb.* commendat ſcarificationem cutis in abdomine, in talis autem & cruribus ab iis abſtinendum innuit propter gangrænæ periculum. Eandem *Langius* ſuâ experientia confirmat, & præſidium ſcarificationis malleoli interni memori animo condendum eſſe monet.

VESICANTIA an conveniant Aſcite laborantibus controvertitur. *Alexander Maſſaria* rejicit ea propter inflammationis periculum, & quia partes illæ cutaneæ ſunt frigidæ, ſi exulceratæ aeri exponantur, facilè alterari poſſunt, & ſic metuendum ne gangræna accerſetur. Cui adſtipulatur *Ludovicus Septalius l. 7. animadv. & caut. Med. th. 55.* qui quadraginta annorum ſpatio in magna Mediolanenſi urbe medicinam faciens, nullum veſicantibus cruribus admotis ab hydrope liberatum vidit, exceptis duobus, quibus veſicæ in cruribus per ſe excitatæ fuére, qui pòſt hepar roborantibus reſtituti ſunt in integrum. *Hercules Saxonia autem lib. de uſu veſicant.* illa admittit. Et rectè; Nec ab eorum uſu nos amo-

amovere debet, quod ulcera in hydropicis ob redundantem humorem non ſanentur *6. aph. 8.* Loquitur enim ibi *Hippocrates* de ulceribus profundis, non autem cutaneis, qualia à veſicantibus inducuntur. Deinde intelligit *Hippocrates* in allegato aphoriſmo non omnes aqua inter cutem laborantes, ſed illos tantùm, qui Anaſarca vocata correpti ſunt. In iis ſiquidem totius corporis moles, ac univerſa caro ſpongiæ inſtar humida & laxa exiſtit; ubi ſi veſicantia adhibeantur, facilè ulcera inſanabilia redduntur; nam omne ulcus, quà ulcus, ſiccari poſtulat, neque ad cicatricem priusquam ſiccetur perduci queat, ut *Galen. l. 3. meth. med.* fuſiùs demonſtrat, minimè mirum, quod in Anaſarca propter immoderatam univerſi habitus corporis humiditatem ulcera difficile ſanentur. Inter veſicantia autem primum locum obtinet RANUNCULUS FLAMMEUS, qui peculiari quodam modo materiam peccantem ſine omni incommodo educit.

CAUTERIA ex uſu eſſe non videntur, quia ulcera ab illis excitata in partibus tumidis calore deſtitutis in gangrænam facilè degenerat.

PUNCTIONEM SCROTI maximè commendat *Alexander Maſſarias* tanquam commodiſſimam materiæ evacuandæ, digniſſimamque quæ in uſum revocetur, cùm non tantùm facilè admodum & ſine ulla moleſtia, ſed & ſine periculo, & cum ſummo emolumento poſſit adminiſtrari. Habet omninò locum in principio morbi; minus hoc viribus jam admodum proſtratis: quemadmodum eandem ut ſalutare remedium aliquoties expertus eſt in Illuſtribus & nobilibus perſonis, viſceribus adhuc ſanis, *Vir Ampliſſimus & Excellentiſſimus Dn. VVernerus Rolfinck Phil. & Med. D. P. P. Præceptor meus nusquam & nunquam ſatis honorandus.* Et licet hoc incommodi accideret, ut ſcrotum gangrænâ corriperetur, minus tamen eſſet periculoſum, quàm in aliis locis. Ita refert *Guilielmus Fabricius cent. 1. obſerv. 48.* cuidam hydropico adeò copioſè in ſcrotum delapſum eſſe humorem ſeroſum, & excitatâ gangrænâ inde effluxiſſe, ut à morbo liberatus ſit, & diu ſupervixerit ſanus atque liberos aliquot procrearit.

Te-

Teſtes autem Natura obduxerat calloſâ quadam ſubſtantiâ, quæ eos vice ſcroti obtegebat, & ab externis injuriis vindicabat. Sic vidit *Clariſſ. Dn. Sennertus* Anno 1603. civem quendam Witebergæ, cui totum ſcrotum usq; ad abdomen gangrænâ corruptum fuerit, ita ut teſtes nudi conſpiciebantur, qui tamen idoneis medicamentis adhibitis, & gangrænâ ſedatâ carne à vicino abdomine ſuccreſcente obducebantur, ut teſticulus uterque unâ carne obductus pomi figuram referret. Vixit diu vir ille & ſenex evaſit. *Sennert. l. 3. prax. part. 9. ſect. 1. c. 6.*

Generoſum remedium & proprium huic morbo præſidium eſt ABDOMINIS APERTIO ΠΑΡΑΚΕΝΤΗΣΙΣ vocata, cujus mentionem facit *Hippoc. 6. Epidem. ſect. 7. t. 8. & 6. aphor. 27.* Cum autem paucis eam profuiſſe conſtet, cautê exequenda, & quidem etiam in principio, quando nimirum viſcera adhuc robuſta & vires valent. Fruſtra enim educuntur aquæ, quæ vitiatis jam & alienatis viſceribus enaſcuntur, unde non leviter errant, qui in deſperatis omnibus paracentheſin aggrediuntur. De loco dubitatur anxiè. Quidam in umbilico fieri volunt: alii in lateribus & quidem in latere dextro, ſi Epar ſit corruptum; in ſiniſtro, ſi lien: alii ſub umbilico, Sed quocunque loco fiat, parum intereſt, modò cautio adhibeatur, ne lædantur muſculi recti. Commodiùs autem fit per tres digitos infra umbilicum verſus latera, quoniam ibi non ſunt partes nervoſæ, tot tendines, ut in media parte. Nec eſt, quod timeamus vulnerationem inteſtinorum, cum abdomen in hydropicis ad transverſæ palmæ amplitudinem ab inteſtinis protrudatur. Ubi ad cavitatem perventum eſt, indicio ſunt penetrationis facilitas & aquæ profluvium. Aqua evocetur ſenſim & partitis vicibus, non confertim juxta *Hippocr. 6. aph. 27.* propter ſpirituum diſſipationem; nam ſi ſecus fiat cum aqua anima educetur. In ſenio confectis non debemus hoc remedii genus experiri.

II. PHARMACIA ſuccedit, quæ ſuppeditat auxilia Medica circa materiæ eductionem occupata; hæc reſpi-

ſpicit ſerum vel intra abdomen effuſum,& partibus inferioribus communicatum, vel in vaſis adhuc deliteſcens.

VOMITORIA an conveniant dubitatur à nonnullis, cùm aliàs ventriculus in Aſcite laborantibus langveat, & muſculi abdominis liberè concurrere non queant. Verùm lenia vomitoria in principio interdum conveniunt, cùm non ſolùm ex ventriculo cruditates collectas evacuent, quæ plurimæ in hoc affectu ſunt, ut teſtantur nauſeæ & faſtidia; ſed etiam omnem materiam auferre poſſunt, id quod Natura ipſa & Experientia comprobat. Teſtatur *Fernelius lib. 3. meth. med. c. 3.* Vomitu ſæpè è ventriculi cavitate ejusque tunicis, è præcordiorum membranis, è cavo jecoris & lienis, è pancreate talia evacuari, quæ per alvum medicamentis etiam ſatis validis exturbari nequeunt. Sic refert *Foreſtus lib. 19. c. 29.* hiſtoriam cujusdam, qui mari iter faciens & moleſtis vomitibus vexatus ab hydrope liberatus fuit. Et *Celſus* meminit Methrodori, qui cum æquo animo ferre non poſſet neceſſariam ſitim, plurimum bibit, mox revomuit, & tandem convaluit. Commendantur ad hunc uſum ab Autoribus decoctum hordei, aq. hord. cum ol. calamenth. Sem. raphan. aneth. oxymel ſimplex & compoſitum, Diaſarum *Fernelii*, Aq. benedicta *Quercetani*, Aqua vomitoria *Hartmanni*. Chimici hodiè utuntur croco metallorum, Sale vitriol. & Gilla Theophraſti in cereviſia calida cum butyro exhibitis, cùm vim egregiè incidendi & attenuandi habeant. Hîc autem cautelâ opus, ut nimirum Medicus conſideret, num æger ad vomendum ſit aptus; quod ſi æger ad hæmoptoiſin inclinet, laboret imbecillitate & dolore capitis & oculorum nauſeâ ventriculi, animique deliquiis, nec æſtas adſit, vomitus interdicendus potius erit.

Per inferiora evacuatio commodiùs fieri poteſt, cum materia aquoſa & ſeroſa abundet, A LENIENTIBUS incipiendo. Cavendum enim eſt validis uti hydragogis ſtatim ab initio, ſed leviori aliquo medicamento erunt prima excrementa educenda, & ſic viæ ad validiores evacuationes præparabuntur.

LENIENTIA hæc in Aſcite ſunt, benedictum illud medicamentum Manna, Aloë, Cremor Tartari, Cryſtall. Tart. leniendi vim habent, mel roſat. ſol. ſyr. roſat. ſolut. Hiera ſimplex Galeni, quæ ſimul etiam viſcera roborat; pilulæ de aloë roſata, aloephanginæ, aſſajareth, de rhabarb. diacarthamum & ſimilia; inter quæ vel primas ſibi vindicat Syrupus ex ſucco palmæ Chriſti.

PRÆPARANTIA, & quæ vias aperiunt addi poſſunt, & quamvis in Aſcite materiæ evacuandæ coctionem expectare vel moliri opus non ſit, utpote quæ nullam coctionem nec â Natura, nec ab Arte recipit, & per ſe ſatis tenuis, & ad fluendum apta eſt, neque magis coqui quàm aqua ſimplex poteſt; quin imò multis potionibus coctionem præparantibus ventriculus debilitatur, venter magis repletur & aqua augetur; meliùs tamen eſt hæc addere, ut primæ viæ paulatim ab excrementis liberentur. Talia conficiuntur ex radicibus filicis, graminis, aſparagi, petroſelini, ex abſinthio, dictamno Cretico, calamintha montana, capillis Veneris praſſio &c. addi poſſunt Syr. acetos. ſimpl. & compoſ. byzant. de Cichorio cum rhabarb. Spec. diacurc. dialacc. diacalaminth.

FORTIA his ſubjungenda. Sed in horum uſu maxima eſt habenda ratio ventriculi, ne ex frequentiori illorum exhibitione tonus & robur illius labefactetur, proinde modò roborantibus, modò purgantibus alternatim & ſenſim utendum, monente ita *Ludov. Septal. l. 7. animad. & caut. Med. §. 48.* Præſtat enim paulatim & tutò vacuare, quàm feſtinanter unâ cum ægro morbum tollere. *Alex. Trall. l. 9. c. 2.*

Inter SIMPLICIA refertur MECHOACANNA, ex America ante aliquot annos allata radix, ſine moleſtiis ac torminibus tenues humores educit, viſcera roborat, pueris etiam innoxia, inſipida ferè, nullâ qualitate manifeſtâ lingvam feriens, tardè operatur, ideoque Zingiberis vel piperis aliquid miſcetur, aut uno atque altero grano diagridii acuitur. Doſis â drachm. j. ad drachm. 2. Paratur etiam ex ea extractum.

Ra-

Radix Gialapæ efficaciſſima eſt in hydrope, guſtu non injucunda, fortius tamen & potentius quàm Mechoacanna ſeroſos humores purgat. Datur à ſcrup. j. ad ſcrup. ij. Flores Persicorum Sicci mirâ facilitate ſeroſum humorem educunt, præparatur ex iisdem conſerva & Syrupus hydragogus. Egregiè aquas per alvum ducit Gummi Gotte ſeu de Peru, interdum & vomitum movet, ſed non ſemper, præcipuè cum mace aut ejus oleo, aut ſpiritu Salis vel Vitrioli correctum. Doſis eſt à gr. v. ad gr. xij. Exhibetur variis modis, vel cum conſerva roſarum, vel cum Syrupo cinamomi, utplurimùm tamen cum cremore Tartari in juſculo carnis. Idem præſtat id ex medicamentis, quibus proximo ſeculo Indicæ navigationis materiam medicam auxerunt, quod Granum Tilli vocatur, & melius, per aliquot horas prius ſpiritu Salis ſubactum. Rhabarbarum Epatis anima, in Aſcite non incommodè uſurpari poteſt; licet contrarium ſentiat *Capivaccius l. 3. pract. c. 18.* cui adſtipulatur Maſſarias & Septalius, quia talia, qualia opus eſſet evacuare, aptum non ſit; moti forſan etiam autoritate *Galen. lib. de purg. medic. facultat. c. 2.* ubi inquit: quæ flavam vel nigram bilem purgant, importuna ſunt & inutilia Hydropicis. Verùm etiamſi Rhabarbarum primariò bilem educat, & propterea in hydrope non uſurpetur, ſed quia ſecundariò etiam ſeroſos humores evacuat, obſtructiones aperit, viſcera roborat, tutò aliis medicamentis hydragogis admiſceri poteſt. Maximè hodiè (quod jam ſupra innui) commendatur ad aquas Hydropicorum educendas ſuccus radicis Palmæ Christi, aut inde paratus Syrupus; non enim ventriculo ita nocet, ut ſuccus radicis iridis. Ebulus Hydropicorum aquas per alvum deducit, nonnunquam & vomitu rejicit. Elicitur è radice vel è mediano cortice ſtipitis contuſo, affuſa aqua hordei cum cinamomi vel nucis moſchatæ momento, ne noceat ventriculo. Paratur è granis ebuli extractum in Aſcite maximè utile. Sambucus iisdem pollet viribus, ſed Ebulo aliquantò infirmior. Summitates teneræ ſambuci

verno tempore aqua ſemel ferveſactæ ac mollitæ, deinde cum aceto & oleo in acetario comeſtæ, aquoſos & ſeroſos humores edunt. Conficitur ex acinis baccarum ſambuci oleum, quod drachm. 1. pondere datum potenter purgat. E baccis SPINÆ CERVINÆ recentiores conficiunt Syrupum, quem Syrupum domeſticum, ſeu de ſpina infectoria nominant, hunc deſcribit *Matthiolus in comm. ſuper Dioſcor. l. 1. c. 12. de Rhamno.* Braſſica marina, SOLDANELLA vocata, vehementer aquas purgat, ideò robuſtioribus paulò exhiberi poteſt. Aquam ducere copioſè ſcribit *Maſſarias*; Verùm *Mercatus* tradit, adeò ventri adverſum eſſe medicamentum, ut minus damnum ipſi videatur, carere iſto præſidio, quàm frui ejus malefico effectu; cum & ventrem ſubvertat, & dyſenteriam nonnunquam excitet. Cui adſtipulatur *Jul. Cæſ. Claudianus de ingreſſ. ad infirmos l. 7. c. 13.* qui abſtinendum cenſet ab uſu iſtius medicamenti, quia nunquam vidit aliquem ſucceſſum ex uſu ipſius per os. IRIS DOMESTICA, ſeu flore cœruleo, ſuccus radicis potenter & copioſè ſeroſos humores evacuat. Sed quia per ſe nimis eſt fervens & acris, ingratiſſimi ſaporis, fauces urit & vellicat, corrigitur cum Manna, melle & aliis mucilaginoſis, ut tragacantha. Permiſcetur etiam ovi vitello in cortice, albo effuſo addito pauxillo cinamomo & ſale, calefit leviter & ebibitur. *Alexander Maſſaria* ſe eo familiariter uti ſolere ad unc. tres vel quatuor ſcribit. Pulvis ex vino vel alio liquore exhibetur à drachm. 1. ad 2. *Dioſcorides* ad drachm. 7. usque exhibet, quia radix arida minus purgat, decocta non purgat. Paratur ex radice conſerva efficaciſſima, ut & fecula. Succedit FRANGULA, cujus fruticis cortex, Veredelibratus, aquas hydropicorum egregiè purgat, ſimulque adſtrictione, quâ participat, viſcera confirmat, recens vomitum etiam movet, ideò ſicci ad purgandum uſus. ESULA etiam commendatur, ex cujus radice. *Rulandus* paravit extractum toties in centuriis decantatum. GRATIOLA efficax ad humores aquoſos & ſeroſos, adeoque & ad hydropem eſt remedium. Paratur ex ea extractum, quod commodiſſimè ob ſaporem

aliàs

aliis ingratum, pilulis immiſceri poteſt. Compoſita ex his dictis arte fieri poſſunt plurima, quorum ſeriem longiore disputationis filo pertexere occaſio & pagellarum anguſtia vix patitur, ſaltem modum componendi & materiam cognitam habeat, facilè quilibet plura componet. Obſervandum autem eſt ſingulis ſeptimanis ad minimum ſemel tentandam eſſe vacuationis repetitionem, ne venter mox denuò ſaburræ aqueæ affluxu exundet.

Chimica ritè præparata non ſunt repudianda, uti eſt OLEUM ANTIMONII, *ſecundum deſcriptionem Sennerti in Inſtit. lib. 5. part. 3. ſect. 3. cap. 6. p. 1374.* quod à gut. iij. ad vj. vel plures exhibitum, aquam ſine vomitu & moleſtia educit, FLORES ANTIMONII, ex quibus pilulæ formari poſſunt. CRYSTALLI LUNÆ potenter aquas hydropicorum ducunt. Vide *Diſp. Chimic. 2. Ampliſſ. ac Excellent. Dn. D. Rolfinckii.* SQUAMA ÆRIS ſive æs uſtum probatur *à Dioſcoride* ex aqua mulſa pota. *Baesdorpius* hocce *Carolo V. Imperatori* hydrope laborante exhibuit. *Jacchinus* gloriatur, ſe ſuo tempore primum in uſum traxiſſe, exhiberque contritam in catapotiis ex melle, admiſcet charyophyll vel cinamom. Doſis ipſi eſt à drachm. j. ad drachm. jſ. MERCURIUS VITÆ etiam hydropem confirmatiſſimum tollere viſus eſt, cujus doſ. à gr. iiij. ab initio, poſtea auctior usque ad 12 per aliquot dies, ſtante tamen adhuc virtute ventriculi. Si autem incidat in viſcera debilia & ritè præparatus non ſit, ſæpè Mercurius mortis eſſe ſolet. Nullos generat vomitus, ſed tantùm per inferiora movet, quia aqua ſalſa volatilitatem ejus figit, unde ille vim vomitoriam amittit. Senioribus tamen cautè hoc purgante utendum, nam præter ingentem virium dejectionem ſæpenumerò ani procidentiam quoque in illis cauſat, arte difficulter aut vix poſtea ſanabilem. SPIRITUS SALIS COMPOSITUS etiam aquam hydropicorum educit. COMPOSITA ſunt ſpec. diacarth. diaturbith cum rhabarbaro, trochiſcide rhabarb. de abſinthio, de lacca, de capparibus, Hiera ſimpl. Galen. commendatur ab antiquis tanquam ſingulariſſimum medicamentum. Hydragogum

majus & minus *Fernelii* maximè proſunt in hydrope, item pulvis hydragogus in *Pharmacop. reſtit. Quercetan. c. 14.* deſcriptus. Pilulæ hydrogagæ *Quercetani in Pharmacop. c.14.* ſuam laudem merentur.

Clysteres, qui feces inteſtinorum & materiam in cellulis eorundem hærentem educunt, venas meſaraicas ab infarctu colluviei aquoſæ liberant, hîc convenire, nemo ibit inficias. Conficiuntur ex rad. iridis, cucum. agreſt. cyclam. Herb. mercurial. beta, malv. fol. ebul. rut. ſoldanell. cent. min. fl. geniſt. borrag. ſem. carth. fœnic. & ſimilibus.

Diuretica quoque in ſubſidium vocanda, quæ materiam ſeroſam & aquoſam per vaſa ad vias urinarias deducunt, eam tamen potiùs, quæ poteſt decumbere in cavitatem, non eam, quæ jam ibi collecta eſt; hæc enim per urinam evacuari nullo modo poteſt. Nam materia in cavitate reſidens, ſi per urinam evacuanda eſſet, ut rurſus ingrederetur jecur neceſſe eſſet. Verùm non committendum, ut materia noxia membrum nobile ingrediatur. Talia parantur ex rad. filic. aſar. ononid. aſparag. fœnic. petroſel. dictamn. Cret. ſem. dauci, petroſel. raphan. ocul. 69, è ſpec. diacurcum. dialacc. diacalaminth. &c. Sal geniſtæ valdè commendat *Claudinus*; Sal abſinthii, Juniperi etiam proſunt. Spiritus vitriol. in quotidiano uſu habetur, oleum terebinthinæ præſtantiſſimum diureticum eſt. Inprimis verò laudatur lignum Saſſafras, quod inſignem quoque vim obtinere dicitur viſcera corroborandi, calidum innatum augendi, materiamque aquoſam exiccandi. E cinere fl. geniſt. lixivium paratum & cum ſcrup. ſem. Sal. abſinth. exhibitum, nihil præſtantius eſſe ait *Jul. Cæſ. Claudin. l.2. de ingreſſ. ad infirm. ſect.2. c.14.* Exhibeantur autem ſæpiùs diuretica, ut materiam ſeroſam, quæ aſſiduò generatur, per urinam evacuent, & viſcera ab obſtructionibus liberent. Urinæ potus quamvis ſit auxilium ingratum & abominabile, teſte *Gal. lib. 10. ſimpl.* tamen maximè commendatur & exhibetur in Aſcite ab *Avicenn. & Galeno lib.9. κατὰ τοπ. c. 3.* calefacit enim; detergit,

ape-

aperit, quæ omnia proſunt hydropi. Poteſt ex ea arte Chimicâ Sal confici, quod palato gratius. *Paulus* exhibet cochlear unum ſtercoris bubuli uſti ex uino potum quotidiè, ſtrenuè auxiliatur. Sed quia patientes talia medicamenta non libenter admittunt; hodiè iis nõ utimur, cum in promtu ſint alia ad guſtum magis facientia. Cantharides in Aſcite à nonnullis laudantur. *Capivaccius l.3.pract.c.19.* ab omnibus deſertos cantharidum uſu reſtitutos vidit. Verùm non niſi in caſu deſperato adhibendi ſunt, & tum demum, quando reliqua medicamenta nihil juvant.

SUDORIFERA etiam aquas evacuant per poros cutis, præcipuè eam, quæ in abdomine continetur, & partibus ſubcutaneis deliteſcit. Cautè tamen procedendum, & niſi humor aquoſus & ſeroſus ad extimam corporis ſuperficiem eſt diſtributus, aut morbus in declinatione non uſurpanda. Sunt autem hydrotica illa vel interna, vel externa. INTERNA varia ſunt: decoctum *Guajaci*, aut potiùs ejus extractum, nam decoctum maximè ſuâ humiditate actuali nocet, Saſſafras, Extr. carduibened. CC. liquor ille, qui gummi modo in majore oculorum cantho cervorum antiquorum concreſcit, Lachryma cervi dictus, Antimonium diaphoreticum, Theriaca, radix contrajervæ; decoctum ſudoriferum ſpecificum deſcribit *Quercetanus c.8. Pharmac. reſtit.* EXTERNA, quæ aquas digerunt & abſorbent; ſiccum illud balneum Laconicum dictum, in quo æger ſedeat excitatis ſemper vaporibus decocto calaminth. origan. pulegii, lapidibus ignitis ſuper infuſo. Ejus loco vaporaria ſicca parari poſſunt. ACIDULÆ in Aſcite vix ſunt uſurpandæ; nam nulla aqua opportuna videtur in hoc affectu, cum ſuâ humiditate, quam actu habet, maximê lædere valeat. Licet enim quidam ab earum uſu purgentur, raró tamen, imò nunquam vis excretrix in his adeò valida eſt, ut eâ quantitate, quâ bibi debent, aquam illam rejiciat. Prius tamen quam affectus inveterarit, Stœbenſes (quas nobilitavit *Vir Ampliſſimus, Excell. & Experientiſſimus Dn. D. Colbius, Medicus Slaitii Ruthenicus famigeratiſſimus, Promotor atq; Affinis meus*

ſum-

ſummè obſervandus) propter ſingularem, quam à Marte habent, interna membra omnia, maximè infimi ventris conſortandi vim, ac ſimul majorem urinæ, quàm alvi ciendæ facultatem, minimè omnium diſſvadendæ ſunt. THERMÆ CAROLINÆ proſunt. Quæ inſenſibiliter evacuant partim interna, partim externa ſunt. Interna ſunt ſales theriacales, trochiſci de vipera, & alia ſudorifera, quæ totum corpus mirabiliter penetrant. Externa varia ſunt, veteres in arena marina ſub ſole corpora ſepeliebant, capite & thorace coopertis. In eandem intentionem ſolet collocari æger in acervo tritici usque ad lumbos. Hodiè verò ægri non ſunt adeò patientes laborum, ut talia admittere velint. Eorum loco utimur fomentis ex decoctis herbarum diſcutientium, item ſacculis ex cumino, milio, ruta, baccis lauri, luto thermarum ſulphurearum & nitroſarum; oleo abſinth. ſambucin. aneth. ſcorpion. ungvento de Arthanita, Agrippæ, &c.

EMPLASTRA aliquoties profuiſſe certum eſt, talia conficiuntur ex ſtercoribus animalium, videl. è ſtercore caprillo & columbino, quæ cum ſucco bryon. iridis, laureolæ, vino, aqua vitæ poſſunt ſubigi & inſpargi, ſi placet, farina lupinorum & ſemen cymini. Cochleæ tritæ emplaſtri modo adhibentur ad exiccandum cum corticibus tuſis, applicantur ventri donec recidant.

AMULETA nonnulli commendant, ut lapidem bufonum, lapidem colubri, Gagatem Jaſpitem, ſi à collo ligatos circumferant ægri: ſed hæc non tàm affirmare aut contendendi, quàm inquirendi ſtudio potiùs proponere viſum eſt. Neque repugnaverim, ſi quis eventum hunc ad fortuitum caſum referat.

ALTERANTIA & Corroborantia non ſunt omittenda, quæ vim habent obſtructiones & infarctus viſcerum reſerandi, & viſcerum tonum naturalem reſtituendi vel conſervandi. Remanente enim cauſa collectionis seroſi humoris fruſtra ſola evacuantia adhibentur. Talia ſunt: abſinthium: & quæ ex eo parari poſſunt, conſerva ſpiritus, ole-

oleum,radices 5. aperientes, carduusben, Ageratum, agrimonia,Epar lupi; Tunicam internam ventriculorum gallinæ,tanquam pharmacis proportionatis horum viſcerum, ſummis laudibus extollit *Jul. Cæſ. Claudinus*; condita gemmarum geniſtæ, Aromaticum charyophyllatum; ſpecies dialacc.diacurcum.diarrhodon abbatis. Trochiſci de lacca, de abſinthio,de eupatorio, de rhabarbaro. Confectio cyphoides à *Galen. l.8. de compoſ.medic. ſec.loc.* deſcripta ſingularis eſt. Elixier vitæ & vina medicata huc ſpectant. Ex abſinthio pontico remedium præſtantiſſimum affert*Matthiolus in Dioſcoridem l.3. c.23.* quo aliquos hydropicos qſ.deſperatos ſanatos eſſe ſcribit. Nec ultimum locum obtinet Chalybis uſus,ſi ritè præparetur; obſtructiones enim reſerat, aquoſos humores educit ſimilitudine ſubſtantiæ illum ſibi uniendo. Crocus Martis aperiens etiam exhiberi poteſt in pilulis. Exterius foveatur Epar oleis, linimentis calefacientibus & corroborantibus,ol.abſinth.ſpic.maſtichin.cappar. nardino,ligno aloës,pulv. charyophyll. cinam.ſucc.eupatorii,emplaſtro oxycroc. de meli loto &c. Ventriculi ratio quoque habenda & robur ejus conſervandum medicamentis ipſi accommodatis.

III. Diæta hiſce omnibus convenienter reſpondeat. Quod enim in omnium morborum curatione verum eſt,in hujus affectus curatione certè eſt veriſſimum: omnia medicamenta fruſtra uſurpari, niſi diætæ diligens ineatur ratio. Aer,in quo æger verſatur ſit moderatus quoad ſubſtantiam,lucidus,purus,quoad qualitatem ad calidum & ſiccum vergens: vitandus ventus calidus & humidus,qualis in Græcia fuit Auſter, quia corporis laxitatem adfert *3. aph. 5.* Vitandus aquilo,quia corporis conſtringit meatus,alvumq; cohibet. Quod ſi ejusmodi non ſit, qui ſpiret, Ars Naturæ ſubveniat neceſſe eſt; craſſus enim & nebuloſus Aſcite laborantibus maximum infert nocumentum. Cibus ſit εὔχυμος καὶ εὔπεπτος. Non in magna quantitate exhibeatur,cùm omnibus Hydropicis inſit calor nativus debilis, qui difficulter alimentum in magna copia exhibitum

D con-

concoquit: Sit calefaciens, ſiccans & attenuans. Panis ſit bene fermentatus & coctus, *Hipp. lib. de int. aff.* biscoctum laudat; validè enim exiccat, & cruditates abſumit, vel qui ex toſta farina cum ſale & ſemin. aniſi, fœnic. carvi conficitur, exhibeatur. Abſtinendum ab omnibus liquidis, craſſis, viſcidis, pingvibus, ſalſis, muriâ conditis. Quadrupedum carnes probantur, Vervecina juvenis benè nutrita, agnina, ſed adultior, item & talis vitulina, magis aſſæ quàm elixæ. Condiantur cinam. charyophyll. aniſo, thymo, allio &c. Ex avibus conveniunt ſylveſtres & montanæ, ut perdices, turtures, merula, alauda, gallinæ & imprimis hepata harum, quæ tota ſubſtantia Hydropicis utilia eſſe perhibentur. Refert *Nicol. Florentinus ſerm. 5. tr. 5. c. 2.* ſe eſu & uſu alaudarum quendam hydropicum vidiſſe ſanatum, quibus frequenter cum petroſelino veſcebatur, modico malvatico contentus. Ova quoque ſorbilia erunt accommodiſſima. Piſces plerique non convenire videntur, quia ſemper frigiditatis & humiditatis ſunt participes. Olera pleraque, cum mali ſucci ſint, vitentur; ſunt tamen nonnulla, quæ potiùs condimenti, quàm alimenti loco exhibentur, ut ſunt ſummitates lupuli, aſparagi turiones in Vere protuberantes, naſturtium aquaticum, cochlearia, chærefolium, quæ materiam ſeroſam per urinas educunt. E fructibus conveniunt paſſulæ, amygdalæ amaræ, cappares, piſtacia, nuces pineæ. Potus ſit parcus, qui ciborum diſtributioni tantùm ſufficiat. Nonnulli enim ab omni prorſus potione ad longum tempus abſtinentes, tandem ſanitati fuére reſtituti. Vinum ſit album, tenue, antiquum, non dulce, non auſterum, quod parcè admodum eſt bibendum. Minori moleſtia hîc obedire queunt, ſi ex anguſtiori vitro bibant, humectatâ enim ſæpiùs vini ſtillantis momento lingvâ, promtiùs fallitur ſitis, nec ejus copia gravatur ventriculus. Parari poteſt vinum medicatum ex abſinthio, fl. anthos, perſici, geniſtæ, carduobén. Poteſt quoque cerevіſia medicata exhiberi. Corpus exerceatur tempore oportuno, ventriculo ſc. à cibo vacuo, & aliquando ad ſudorem usque, ut innuit *Hipp. 5. Epidem. t. 67.*

So-

Somnus ſit nocturnus, non multus; vigiliæ enim corpus exſiccant. ALVUS ut quotidié reſpondeat danda opera; id niſi Naturæ aut victus beneficio fiat, ars ejus defectum ſuppleat. VENUS tanquam pernitioſiſſima vitetur. ANIMI mœrores, triſtitiæ, ſimilesq; paſſiones penitus auferantur. Spiritus enim vitales ſuffocant & humidum radicale exſiccant.

Queîs exſiccari mediis, hydropis acerbi
torrens, & ſiſti queî tumor iſte queat,
Pervigili ſtudio didiciſti, atque optima morbis
pharmaca ſolerti compoſuiſſe manu.
Sint magni comites, (hoc opto) laboris honores
& tua gazarum ſit Medicina ferax.

DAMMENHAN

theoria & praxi celebris, fortunâ clarus innotuiſti multis. Artem quam fideliter à probatis viris didiciſti, ſub FOELICI KOLBIO, Medico REISSIACO illuſtri excoluiſti, exerce cum laude, & Sereniſſimo PRINCIPI tuo, PATRIÆq; aliquando humilia, ut præſtes obſequioſa ſervitia, dignus judicabere. Hæc TIBI, pro Licentiâ publicè diſputaturo, ex animo apprecatur

Gvernerus Rolfinck Phil. Med. D.
Medicinæ Practicæ, & Chimiæ
Profeſſ. Publ. Facultatis Senior
& Decanus.

Diſcuti ut poſſit benè dirus hydrops
& ſitis pelli; mala cauſa morbi
cedat ut venis, & aquoſus albo
corpore langvor;
Candidate experte, doces venuſtè
& probum longi ſpecimen laboris
edis: ut dignum rubea tiara
æſtimet omnis.

An-

Annuat cœptis ſuper aſtra Numen,
dirigat mentem, manuumq; ductus
pharmacis ut mille tuis Jacentes
reſtituantur.

Paulus Marcquartus Slegel,
D. Præſes.

DOMINO
JOHANNI DAMENHAN,
Medicinæ Candidato
Publicè
Licentiæ causâ diſputaturo.

NUnc igitur, poſtquam, varios viſendo grabatos,
Tentaſti in medica te ſatis arte diu:
Cujus inantè tibi dederat non una cathedra,
Inſtrumenta, quibus mens vice cotis erat.
Is, ut præclaris Jenæ ſiſtare Brabeutis,
Et tentandus iis, nunc ſatis, annè, ſones.
Ut te legitimè mactum dimittere ſummo
Ad publicos uſus artis honore queant.
Ἀσκίτης ἄσκησις erit, cum plebe Senatu
Judice, quâ pateas excutiendus ibi.
Aſt Evangelicus, curatu itaque arduus, hydrops,
Morbus: cauſa patet, cujus origo latet.
Attamen euge! tibi cur gratulor, illud agonis
Tu quoque laudanda cum ratione ſubis.
Quē doctrina animat, cōſulta peritia membrat;
Non in re Medicus ſe facili ille probet.

prono magis in veritatis teſtimonium,
quam affinitatis vinculum, affectu
Joachimus Colbius D. Medicus
Ruthenicus Slaitienſis ſ.

DEO *Maximo Gloria.*